

B. M. II, 198.
h. 52, 20.

X 1877948

II K
3224

DISPUTATIO JURIDICA
DE

FEUDIS FUL- DENSIBUS,

Von

Fuldischen Lehen/

Auspicante Numine,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO FAMIGERATISSIMO,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRAN-
DENBURGICI CONSILIARIO, FACULTATIS JURIDICÆ

ORDINARIO, & PROF. PRIMARIO,

Antea

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI,
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, ET IN ALMA

HEIDELBERGENSI DECRETAL. PANDECT. & JURIS

GENT. P. P. ORDIN. MERITISSIMO,

DOMINO & FAUTORE SUO OMNI OBSERVANTIA HONORANDO,

Publico placidoque Eruditorum Examine
exposita

à

FRID. PHIL. Weuder zu Geroldsberg/

Eq. Franc.

D. 2. Mens. Decembr. A. R. S. M DC LXXXV.

Francofurti ad Oderam, Typis CHRISTOPHORI ZEITLERI.





tes
m
ti
ri
m
xi
ve

un
ve
di
de
ca
de





CAP. I.
DE
FEUDIS ECCLESIASTICIS
IN GENERE.

§. I.

Nulla propè disciplina est, quæ majorem, abusu seculi, certitudinem habeat; nulla, quæ majorem requirat, quàm juris & justitiæ. Non enim Jus normam ac regulam, quâ ipsum caret, omnibus actionibus humanis, ut debet, dare poterit; nec quod ipsum ambiguum est, lites ambiguaque omnia decidere. Duo autem potissimum sunt, quæ jus incertum reddunt; opiniones scribentium, & variæ consuetudines: illa etsi nihil iis magis varium & minus sibi constans sit, pro veritate tamen nimis in forum admittæ sunt. Consuetudines verò & praxin quotusquisque est, qui non crepet, quotusquisque verò qui, quod difficillimum est, ritè probet?

2. Hoc in nostra hac materia feudorum Fuldensium quoque usu venit, quæ etsi frequentissimè per universum Imperium extra fines quoque Fuldenses concedi soleant, eorum tamen usus ac mos adeò ambiguus videtur, ut ipsius Imperatoris, Principumq; summa Dicasteria in decidendis litibus inde natis Abbatem Fuldensem consulere, haut dubitaverint; quemadmodum

A 2

ipse

* (4) *

ipse Abbas in literis §. 10. *inf.* allegatis, cum ab ipso Imperatore, tum à Serenissimis Electoribus, Palatino & Saxone factum, eorumque literas cum responsis in archivo suo asservatas testatur.

3. Cum igitur hoc caput de Feudis Fuldici juris integre tractatum, quod sciam, nondum fuerit, sed obiter saltem de eorum successione foeminea hinc inde generalia quaedam allegentur; operæ precium videtur singulas ejus partes breviter percurrere.

4. Vulgò eqvidem non tribuitur his feudis jus aliud, ac quod reliquis quoque Ecclesiasticis Feudis tribui solet, ut foeminae in iis succedere possint, juxta brocardicum illud: *Krumstab schleußt niemand auß*: de quo Tummermannus quidam Advocatus Coloniensis, tractatum integrum compilavit. Sed & Fridericus à Sande *in Consuet. feud. Geldr.* cum singulas ex variorum locorum jure formulas seorsim tractaverit, Fuldensia & reliqua ecclesiastica feuda eodem numero habet, eademque formulâ complectitur, quemadmodum & alii.

5. Ut igitur in hoc sententiarum lubrico aliquid constituamus, tenenda est 1. regula utilissima ac notissima: *Quòd juri communi standum, donec ei derogatum appareat*: quam definiunt Dd. comm. ex l. 27. C. de Testam. l. 32. §. ult. C. de Appell. c. 8. §. *Quia nobis x. de Consuet.* item 2. alia ex priore nata: *Quòd etsi derogatum sit juri communi, id tamen ita interpretandum, ut, quàm minimum possit, ab eo recedatur.* l. 2. C. de Noxal. act. & ib. Dd. comm. Anchor. lib. 3. quest. 46. n. 16. Surd. part. 1. Decis. 174. n. 25. Hartm. Pift. Obs. 143. in fin. Dd. in d. c. 8. Denique 3. Rationem adæquatam, cur foeminae à Feudis excludantur, non esse servitia militaria, sed multò plures rationes non minùs urgentes concurrere; scil. *Quòd Vasallus in parium Curia judex sit inter*
Domi-

Dominum & Convasallum. Quod, etsi servitia remissa sint, tamen alia capita jurej. fidelitatis contineantur, uti celare secreta, consilio adesse &c. 2. F. 76. quæ non magis in fœminas cadunt. c. forus 10. in fin. x. de verb. sign. Quod virilibus officiis cœtibusque interesse eam dedecet. l. 2. ff. de Reg. Jur. Sed & à parte Vasalli. Quod ille feuda ad conservationem & splendorem familiae adquirat, ex quâ fœmina exeunt. Vid. Guil. Fornet. Comm. de Feud. tit. de Success. fil. Et aliàs in fœmineis fœminæ cum masculis simul succederent, quia in iis non alia præstantur servitia, quàm quæ in fœminas quoque cadunt, adeoque in ea ratione pares sunt. Alia ergo necessariò ratio est, quæ fœminas à feudo proprio excludit, in fœmineo masculis postponit: illud fit ob rationes, quas diximus, hoc, ut quàm minimũ à cõmuni ratione & jure recedatur.

6. Hinc itaque primũ concludo, fœminas ab Ecclesiasticis quoque feudis regulariter excludi: cùm constanter traditum sit, eas jure communi in feudis non succedere. *I. F. 1. §. hoc eutem. I. F. 8. princ. & §. fin. I. F. 24. II. F. 11. II. F. 50. & voce hæredum solos masculos intelligi. II. F. 34. §. pen. vers. Profectò. I. F. 13. vers. etsi clientulus.* unde nullibi Ecclesiastica excipiuntur; quin potiùs textus *in d. C. 1. §. hoc autem*, simpliciter fœminas à feudis excludit, in cujus tamen principio expressè quoque de Ecclesiasticis actum fuerat. Hoc moribus Germaniæ minùs dubium est. Cur enim fœminæ ex more certæ demum Ecclesiæ, v. g. Fuldensis, admitterentur, si in universum id receptum esset? Idem confirmant illi textus feudales, qui duobus tantùm casibus fœminas admittunt; ex pacto & in feudo fœmineo: *2. F. 50. ibi, non filia, nisi sit ex pacto vel fœmineum. Quod & dicitur in 2. F. 11. vers. proles.* Quæ proinde exceptiones regulam in aliis casibus confirmant. Atque hoc jus communi suffragio tuentur.

Curt. Jun. *de Feud. part. 3. in princ. n. 4.* (ubi ex Fulgoso tradit, si dominus feudum ecclesiasticum filiae singulari affectu ac merito patris ejus concedere velit, non illam, quia incapax est, sed maritum ejus investiendum.) Rosenth. *de Feud. c. 7. concl. 31. n. 6. § 7.* (ubi damnat hanc vulgi opinionem, Krumstab schleußt niemand aus. & nihil certius esse ait, quam foeminas in iis non admitti; atque in *notis lit. t.* ita de facto servari judicarique se vidisse addit, pluresque allegat.) Fichard. *vol. 2. Conf. 15. n. 7. vers. Ego vero, etsi non ignorem.* (ubi hanc foeminarum successionem nullo jure sancitam, eamque consuetudinem facti esse, & in hac Ecclesia in specie receptam, probari debere, pluribus ostendit.) § *vol. 1. Conf. 17. n. 7.* Ludwell. *in tract. de Success. Feud. cap. 6. §. 1. in quest. 7.* Ampliss. Dn. Rhet. *in Comment. Jur. Feud. lib. 1. tit. 1. vers. Qui feudum dare possint. n. 17. 18. 19. 20. pag. 58. § 59.* Meland. *in loc. comm. feud. thes. 58. in fin.* Wehner. *pract. obs. voc. Krumstab. Besold. in Thesaur. pract. lit. K. n. 51.* Joh. Volck. Bechm. *in us. feud. Exerc. 9. n. 24. § 25.* ubi responso Collegii Juridici de ann. 1611. vers. Wann gleich das strittige Dorff. foemina à feudo Ecclesiastico excluduntur, nisi probent id foemineum fuisse; referturq; ibi in factis, quòd per 300. annos exclusæ fuerint.

7. Neque ulla probabilis ratio pro adversa sententia affertur, sed ideo saltem foemina feudi Ecclesiastici incapax dicitur, quòd in eo servitia non præstentur, per 2. F. 101. ac proinde foemina in eo, uti in franco succedere possit. 2. F. 104. At neutrum probatur: nam & in feudis Ecclesiasticis fidelitatem ac servitia deberi, cum natura feudalis, tum usus Germaniæ docet. Neque rationem excludendæ foeminae esse sola servitia ostendimus §. 5. n. 3. Indeque omnino pernegamus, in feudo franco foeminas regulariter succedere; quod & probant Dd. alle-

allegati ab Hartm. Pist. *lib. 2. quest. Jur. 34. n. 29.* Quibus nos addimus Mozz. *de feud. tit. de subst. feud. n. 85.* Giphani. *de Jure feud. cap. 12. n. 41. vers. 11. Exceptio.* Gemmel. *in Comp. Jur. feud. part. 8. pag. 77.* Rennem. *in Ipr. Germ. memb. 2. disp. 64. thes. 15.* D. Schneidw. *de feud. p. 6. de Success. fœm. n. 18. & 19.* Eamque Julius Clarus de jure veriore m fateri cogitur in §. *Feudum. quest. 73. n. 8.* & Bald. *in l. quoties. in pr. C. de suis & leg. etsi uterque titubet,* & Baldus in *1. F. 1. §. & quia. n. 18.* contrarium statuere videatur, *ubi tamen ita in cap. extr. 2. F. 104. dici saltem ait, ac n. 9. non hunc, sed tris alios tantum casus excipit.*

8. Pro contraria sententia urget Harm. Pist. *d. quest. 34. n. 29. & seqq.* & Carpz. *p. 3. const. 28. def. 7.* quòd (1.) regula illa fundetur in servitiis militaribus, quæ hic deficient: Et (2.) potissima saltem ratio, quæ fœminas excludit, in feudis his cesset. (3.) Mutus & surdus, qui tamen & ipsi incapaces sunt, in franco succedant. Et (4.) textum in *2. F. 104.* qui etsi extraordinarius sit, adeoque non probet; tamen illustret. Sed hæc omnia quàm levia sint, compendii studio in conflictu ostendemus.

9. Deinde concludo: Quòd formula illa: *nach Fuldischen Rechten:* non ex jure aliquo ecclesiastico, sed ex speciali consuetudine loci ortum trahat. per §. 6. & 7. Neque vero, si ex potestate juris ecclesiastici descenderet, recte id jus applicaretur secularibus feudis: formula enim illa non solum modum succedendi, sed & causam complectitur. Taceo, quòd & feuda Fuldenfia masculina dentur, quæ sola consuetudine definiuntur. *Vid. cap. 3.*

QUALITAVE FEUDORUM EULDENSIUM IN SPECIE.

§. I.

Cum igitur in hac incertitudine, de qua §. 2. unicum ferè refugium in judiciis esse soleant literæ Abbat-
tis Fuldenfis d. 13. Aug. 1551. hac de re ad Cæsarem
datae, earum tenor cum primis præmittendus & talis est.
Thue E. K. M. ich unterthänig zu wissen / daß meines
Stifts alt Herkommen / Gewonheit und Gebrauch ist /
daß Fuldische Lehen / so nicht zu Mann-Lehen geliehen /
oder keine Bürg-Güter sind / auch keine Bürg-Lehen ge-
nannt werden / noch durch beständigen Burgfrieden o-
der andere kräftige Vorträge ausgeschlossen / sondern
dißfalls an sich selbst frey stehen / des verstorbenen nech-
ste Freunde und Personen vom Geblüt oder Sipschafft /
beydes männlich oder weiblich Geschlechts / ohne Un-
terscheid Erben ; Daß auch in solchem fall / die Töchter
oder Schwester den agnaten oder Vettern / so weiter in
der Sipschafft dem Verstorbenen verwandt / unangese-
hen / daß er von dem Stamm des ersten acqvirenten ist /
ausschliesse. Welcher Fälle viel anzuzeigen / 2c. und des-
gleichen offtermahls für recht erkandt / 2c.

2. Non quærimus, an hæ literæ jus faciant? Cer-
tum est enim, earum Autorem de consuetudine terræ
suæ saltem attestari, non verò jus facere voluisse, neq;
extra territorium suum potuisse. Verùm id quæstionis
est, An hoc testimonio consuetudo plenè probata sit? E-
quidem, magnopere pro his literis præsumendum, nec
levem

I eadem earum autoritate in dubio esse manifestum est. Plenæ autem probationis vim in Tertii præjudicium idè non habere videntur, quia cùm Reverend. Abbas extra territorium suum privatus sit, literis his desunt ea, quæ ad legale testimonium unius, nedum quæ ad plenam probationem requiruntur, consuetudinis imprimis, cujus singuli actus in specie & cum suis circumstantiis ostendi debent. Admitti igitur contra has literas probatio in contrarium eò magis potest, cum feudi Fuldenensis consuetudo aliis in terris alio sensu recepta videatur, uti de terris Saxonis postea dicetur.

3. Ut ergo literas has cum ratione juris Feudalis conferamus, constat omnino, quòd fœminæ ne tum quidem, cùm Feudi capaces sunt, (ut in fœmineo & ex pacto) admittantur simul cum masculis, sed post eos: *II. F. 17. II. F. 30. II. F. 50.* ut, quàm minimum potest, recedatur à communi regula, & neque dominus plena fidelitatis officia ac feudi jura, neque vasallus curam familiæ neglexisse videatur, donec masculi supersunt, qui & servitia præstant, & familiam servant. Nisi vel consuetudine loci singulariter receptum sit, vel ex verbis investituræ disertè appareat, masculos & fœminas ex æquo succedere; quòd variè fit pro variis investituræ formulis. Simpliciter enim & semper eos concurrere statuunt ex formula: *filiabus ut filiis, den Töchtern als/oder mit den Söhnen.* 2. *F. 104.* etsi secus putent in formula *den Söhnen und Töchtern.* 1. *F. 6. §. 1.* Jacob de S. Georg. *de feud. vers. & fœminis. n. 10.* Hartm. Pist. *lib. 2. quest. 35. n. 11. 16. 28. & seq.* Posterior enim formula jus tantum successionis, prior paritatem quoque denotat, & fœminas masculis confert. Quemadmodum etiam concurrere putantur in formula; *Ihme und allen seinen Erben:* quæ generalitate

B

tate

tate sua heredes quoque testamentarios, nedum filias, ex æquo complecti videtur, etsi alii dissentiant. Jac. de S. Georg. *d. tract. §. 5. & quibuscunq; heredibus. n. 1. 2. 3.*

4. Nonnunquam verò ita successio fit, ut fœminæ modò cum masculis, modò post illos succedant, quod, prout moribus varium, ita variè formulis investitura- rum comprehendi solet, quæ proinde compendii ergo ex moribus ejus loci concipiuntur, ubi successio, quæ electa est, obtinet: uti in toto propè Belgio, vicinisque provinciis ac Principatibus, sc. Cliviæ, Bergæ &c. ubi idcirco frequentius succeditur nach Elevationen / Bergischen / Zutphischen / Geldrischen / &c. Rechten; de quibus Fridericus à Sande de Consuet. Geldr. tit. 3. cap. 1.

5. Crebrior autem hæc consuetudo est in feudis Ecclesiasticis *curvi baculi* quæ dicuntur, in den Krumstabs- Lehen / in quibus facilius consuetudo fœminas admitte- re potuit, quia remissa in iis est fidelitas, & Ecclesiæ olim non militabant. 2. F. 109. Faciliores quoque Abbates admittendis fœminis, fortè & impotentiores quandoque fuisse videntur, quam ut moribus his invalescentibus ob- stare potuerint; cum in majoribus Germaniæ feudis Ecclesiasticis, quæ scepro conceduntur, Scepter- Lehen / usus ille rarior sit, perinde ac in secularibus. Sic admit- tuntur fœminæ in inferiore Germania in Episcopatu Monasteriensi, Osnabrugensi, Coloniensi, &c. in superi- ore, in Abbatia Hirsfeldiensi (hodiè Principatu) Corve- jensi, & Fuldensi: indeque formula successio- num fœmi- nearum esse solet in inferiore, nach Münsterischen / in superiore Germania, nach Fuldischen Rechten.

6. Neque tamen hæc successio Fuldensis, de qua nunc agimus, dubio caret. Nonnulli enim fœminas cum masculis semper, & in recta æquè ac obliqua linea

con-

currere indistinctè statuunt. Vid. Bechm. *in Us. Feud. Exere. 9. n. 26.* ubi de anno 1611. Responsum Jenense subjungit, in cujus facti speie, quæ concepta est de descendentibus, illud quoque supponi videtur. Quod & præjudiciis Curiaë Fuldensis firmare voluisse dicitur Advocatus quidam apud Wehner. *Pract. Obs. voc. Fuldisch Lehen Vers. Quia vero.* Idemque haut obscure probari videtur ex ipsis literis Fuldensibus *supr. c. 2. §. 1.* in quibus in genere dicitur: *Das die nechste Freunde vom Geblüt oder Sippschafft / beyde Mannlichs oder Weiblichs Geschlechts ohne Unterscheid erben.* Quin additur deinde expressè, quod filiaë & sorores omnibus agnatis vel consanguineis remotioribus præferantur: *Das die Töchter und Schwestern den weitem agnaten und Vettern ausschliessen.* ubi cum filia in recta, soror in transversa sit linea, utraque tamen remotiores masculos dicitur excludere.

7. His verò non obstantibus verior videtur sententia, quòd in recta linea masculi fœminas excludant. Ita enim 1. in Curia Fuldensi semper, & præsertim annis 1292. & 1403. judicatum refert Wehner. *d. loc.* & ideò oleum & operam perditurum eum Advocatum scribit, qui contraria ejus præjudicia quæsivit. Idem 2. literæ Fuldenses *sup. §. 10.* ostendunt, quæ masculos saltem collaterales, sc. *die agnaten und Vettern* / non autem liberos aut nepotes à fœminis propioribus excludi testantur. Quod & 3. inde patet, quia quæstio, in quam conceptæ sunt literæ, scil. controversia Domus Hasfiacæ & Nassovicæ, inter collaterales, nim. patrueles fuit; quæ tamen an hoc in cardine verteretur, nunc non inquirimus. Hinc 4. sequitur, cum literæ de casu lineæ rectæ non agant, eum relictum esse juri communi, quo ma-

sculi fœminis in feudo quoque fœmineo præferuntur. Quod 5. ipsum quoque prædicti illustris negotii species demonstrat; in qua filius, Gvilielmus Junior, filias, seu forores suas, semel jam excluferat, & eo demum mortuo lis inter illas & agnatos alios agebatur. Constat quoque 6. quòd jure communi propriè collaterales tantum jure proximitatis graduum, (exceptis fratribus eorumque filiis) descendentes verò jure repræsentationis succedant. Collaterales ergo literæ illæ intelligunt, cum de proximitate agunt, quæ strictè loquendo est collateralium. Estque 7. hæc sententia, ut verior ac juri conformior, sic receptior. Ita Joh. Ferrarius Montanus *in Us. Feud. c. 2. vers. Proinde beneficium*, ait: *In multis curiis dominicalibus, maxime Ecclesiasticis, usurpatum est, ut beneficia ab ipsis collata cessantibus masculis illius lineæ, ad fœminas porrigantur. Et mox: Quæ consuetudo in Ecclesia Fuldensi, atque item Hersfeldensi & multis aliis sic obtinuit, ut feuda desideratis illius lineæ masculis ad fœminas cognatione proximas devolvantur. Quod testimonium suo confirmat Fichard. vol. 2. Cons. 15. n. 7. vers. Ego verò. ubi ait, se non ignorare, in aliquibus Abbatiis, Fuldensi præsertim, eam consuetudinem ita obtinere. Hos sequuntur Knich. de pact. vest. p. 1. c. 4. n. 46. Vult. de feud. lib. 1. c. 9. n. 50. Wehn. d. l. Denique 8. ita hæc consuetudo in Episcopatu Monasteriensi, cum ibi similis successio, ac de hoc casu quæsitum esset, decisa atque transacta fuit, ut feuda tum demum ad filias, uti ad filios, devolvantur, cum filii non succedunt. Vid. Statut. Episc. de ann. 1555. quod refertur infr. §. 9.*

8. In collateralibus verò linea certum est, fœminas ejusdem gradus simul cum masculis concurrere, & masculos remotiores excludere: uti omnes consentiunt, & ex literis §. 10. manifestè liquet: iis enim omnis differentia

rentia

rentia sexus tollitur & sola graduum relinquitur. Diximus verò, literas has admittere probationem in contrarium, si quis alium usum velit ostendere, uti in terris Saxonis fœminæ vi hujus formulæ: *Nach Fuldischen Lehen-Rechten*: masculis semper postponi, nunquam æquiparari dicuntur. *in resp. apud D. Beehm. alleg. sup. c. 1. §. 6.* Equidem, cum in responsi hujus specie quæstio proponatur de filio & filia, quorum ille jure Fuldico communi quoque præfertur, non apparet, cur consuetudini speciali Saxonis id tribuatur. In collateralis verò linea consuetudo Saxonis, masculos ex formula juris Fuldensis præferens, cum præjudicia in prædicta specie responsi allata non satis evidentia sint, plenius ab illo, qui eam allegat, probanda est.

9. Plura autem sunt, quæ in quæstionem hic venire possunt. I. An proximitas graduum in linea descendentium quoque, an verò jus repræsentationis locum habeat? prius asserere videtur Wehnerus *d. l. in verb. Aber ich bin der Meinung / daß die succession durchaus ohne Unterscheid auff die proximitatem gradus absque differentia gehe / es seyen gleich Töchter / Schwester / oder sonst gesippte Personen.* Nos vigore utriusque juris, cum communis tum feudalis, repræsentationis lege descendentes succedere statuimus, ita ut primum masculi absque differentia graduum, tum, iis deficientibus, fœminæ eodem repræsentandi modo feudum obtineant. Hæc enim omni jure certa perpetuaque succedendi ratio nullibi in his feudis sublata est, & nec ullum in allegatis literis mutati juris vestigium, nec ullum præjudicium contrarium apparet; ut nulla planè ratio sit, cur à constanti hoc jure recedamus. Et alias plurimum absurditatis in successione foret: nam, si soli masculi descen-

dentes essent, utique nepotes, pronepotes &c. cum filiis concurrerent jure repræsentationis, quia in masculis nihil singulare jus Fuldicum constituit. Si verò vel una fœmina intercederet, v.g. filia vel neptis, excluderet illa remotiores liberos masculos, atq; ita plus juris filia haberet, quàm filius; neptis quàm nepos. Quod & eo confirmamus, quia jus repræsentationis non excluditur, et si in ipsis investituris clausula: *Nach rechter Sipzahl*: expressè adjecta sit; uti ea sententia verissima ac foro recepta est. Vid. Hartm. Pist. l. 2. quest. 23. per tot. quia scilicet proximitas simpliciter posita non de solis gradibus, sed in genere de ordine succedendi legitimo, pro subjecta materia intelligitur, sive per gradus, sive per lineas, sive per jus repræsentationis &c. ordo numeretur.

10. Unde II. sine hæsitatione statuo, quòd fratrum, quoque prædefunctorum filii cum omnibus thiiis suis (uti vocantur in *Nov. 118. c. 3.*) id est, cum amitis, patruis &c. jure Fuldensi succedant: etsi enim proximitatis appellatio strictius sumenda sit, quàm ut extendi ad descendentes possit, quia eo derogaretur juri communi, ut dictum *sup. §. 7.* tamen tam laxa esse debet, ut ne jus repræsentationis in fratrum filiis excludat, quia eo conservatur jus commune. Ut adeò vehementer erret Wehnerus, si, quod verba inferunt, putat, quòd in linea descendentium proximior gradus remotiorem excludat sublato jure repræsentationis.

II. Quærimus III. An ascendentes quoque jure Fuldico succedant? Non puto (1.) per text. in 2. F. 50. qui nullibi in his feudis abrogatus est. (2.) per text. in 2. F. 84. ubi dicitur, ascendentes non succedere nisi nominatim vocati sint. Jure Fuldensi a. nullibi nominatim vocantur. (3.) Jus Fuldense voluit tantum prospectum fœminis

nis illis, quæ ad feudum admiffæ non fuerunt. cùm masculi fuerint, non verò in eum casum, quo ipsi masculi quoque à feudis arcentur, uti ascendentes. Neque movet generalitas literarum; **Daß die nechste des Geblüts Mann und Weib ohne Unterscheid erben sollen**: eas enim de collateralibus loqui jam ostendimus. Neque de ascendentibus tunc lis aut dubitatio ulla fuit: cùm quæstio proximitatis, de qua in literis illis agitur, propriè ad collaterales pertineat; in reliquis ordinum potius ratio habetur, ita ut totus ordo descendentium ascendentibus, & horum totus ordo regulariter collateralibus præferatur; inter hos autem solus demum graduum numerus regulariter attendatur.

12. Quær. IV. An collaterales, qui à primo adquirente non descendunt, in feudis Fuldensibus succedant, & horum proximiores præferantur aliis remotioribus, qui ab eodem acquirente procreati sunt? Ita videtur, per alleg. literarum verba: **Daß der nechste von Geblüt oder Sippschafft ohne Unterschied erben solle**; Atqui supponimus, eum qui ab acquirente eodem non descendit, esse proximiorē altero; adeoque ex literis præferendū. Quò faciunt verba, **unangesehen/ daß er vom Stamm des ersten adquirenten**: quæ innuere videntur, quod si ve fit ex eadem stirpe, si ve non, uterque succedat quidem, sed post filias &c. Verum adhuc insistimus tum 1. juri communi. 2. *F. 11. § 17. vers. non enim patet.* tum 2. ejus rationi in 2. *F. 8.* quod quisque videatur suis prospicere. quæ nondum est infirmata, & in Fuldicis quoque feudis militat. Quin 3. in fœmineis quoque feudis idem expresse constitutum est, *in d. text. 2. F. 17.* quorum species est Fuldense. Sed & 4. certa fit hæc sententia ex priorē quæstione, quòd primi acquirentis majores ne quidem in feudo

feudo succedant. nedum ergo majoribus illis nati, in quos transmitti per majores non potuit, quod in ipsos majores cadere non potuit: & quod feudum ipsi parentes capere non potuerunt, id multò minus eorum liberi possunt. Accedit 5. quòd, si feuda transfirent ad eos, qui à primo acquirente non descendunt, hoc jus Fuldicum tenderet in præjudicium filiarum, in quarum favorem introductum est, & rarò ad primi acquirentis stipitem, etiam masculinum reverteretur. Hanc 6. sententiam late defendit autor responsi apud Frid. Sand. *in Consuet. Geldr. tit. 3. cap. 1. §. 7. n. 21. usq; ad n. 40.* eandemq; ex Schra-dero confirmat Wehn. *Obs. Pract. voc. Krumstab.* Prædictæ verò litere Fuldenfes loqvuntur 7. de proximis capacibus, & quoties inter masculos & fœminas quæstio est, quos nihil nisi sexus distinguit. Sexus enim saltem, non stipitis differentiam literæ illæ inter collaterales tollunt, quæ aliàs quoque interpretationem ex jure communi semper recipiunt: & proximitatis nomen ut dictum c. 2 §. 1. & 10. *sup.* strictè accipiendum, quoties jus commune Feudorum alioquin corrigeret. Neque ex reliquis textùs verbis aliud infertur, quam quòd filia & forores excludant alios agnatos, qui ab eodem primo acquirente descendunt.

13. Quær. V. an Vassallus de Feudis Fuldensibus testari possit? Quod negamus, quia succeditur iis non jure hæreditario, sed ex providentia majorum, quâ Feuda hæc dantur cognatis proximis: quibus adeò hoc jus inde quæsitum testamento auferri nequit. Atque hætenus idem in his, quòd in communibus feudis jus eademque ratio est, quod nulla dispositio ultima in feudis obtineat, *1. F. 8. pr. 2. F. 9. §. 1.* Quod nullibi in Feudis Fuldicis mutatum est. Et cum ex tenore literarum Fuldensium feuda
illa

illa tantum cognatis concessa sunt, non possunt heredi-
bus extraneis testamento conferri. Idque communiter
sequuntur Dd. Wehner. voc. *Fuldisch Lehen in fin.*

14. Denique VI. quærimus, An Jure Saxonico, quo
soli liberi in feudis succedunt, nulli verò cognati, nisi si-
multaneâ investiturâ ritè quæsitâ, Feuda Fuldensia ta-
men ad cognatos absque simultaneâ investiturâ, *der ge-
samten Hand oder Mitbelehnung* / pertineant? Aff.
Quòdenim cognati in Feudis non succedant, id proprium
juris Saxonici est: in Fuldensibus verò Feudis non suc-
ceditur jure Saxonico, etiam in terris Saxonis, sed jure
Fuldico, quo cognati quoque admittuntur.

CAP. III.

DE DIFFERENTIIS FEUDI HEREDITARII ET
FULDENSIS, ET VARIIS HUIJUS
SPECIEBUS.

§. I.

Affine Fuldensi videtur hereditarium Feudum, &
Wehnerus haut veretur asserere, quòd ejus succes-
sio per omnia æquiparetur successioni allodiali ab
intestato &c. *d. l. vers. Horum enim feudorum.* Verum ab hu-
jusmodi collectaneis frustra accuratio exspectatur, uti
pluribus jam exemplis ejusdem Wehneri vidimus. Ut
autem appareat immane quantum ille à vero distet, &
variæ Feudorum Fuldensium species rectè dignoscan-
tur, breviter quidem & evitatis vastis illis inextricatis-
que de feudo hereditario disputationibus, exequemur,
has differentias.

2. Differunt igitur 1. Feudum Fuldense & heredita-
rium origine & tota specie: illud enim ex pacto vel pro-
videntia Majorum, hoc jure hereditario, adeoque quasi

C

ex

ex beneficio defuncti oritur: hereditarium enim est, in quod Vasallus non nisi ut heres succedit. Hinc 2. Vasallus, qui jure Fuldensi succedit, potest feudum repudiata hereditate retinere: qui jure hereditario non potest; quia tunc pars hereditatis est, *juxta 2. F. 45.* quem de hereditario agere ineptissimè creditur. 3. Ille æs alienum defuncti non solvit, quia heres non est; hic solvit. *d. t. 45.* 4. Illud, si merè sit tale, ad adscendentes quoque & collaterales pertinet. 2. F. 48. hoc intra primi adquirentis stirpem consistit. *supr. §. 12.* 5. De illo testamentum Vasallus facere potest. *d. t. 48.* de hoc non potest. *sup. c. 2. §. 13.* Ab hoc per Vasalli feloniam soli ejus liberi, ex communiore sententia, excluduntur, ab hereditario omnes. & s. 7. Feudum hereditarium simpliciter positum, ex communiore sententia, in dubio masculinum intelligitur; Fuldense autem foemininum, nisi in specie addatur, zum Fuldischen Mann-Lehen. *de quo infra §. 6.*

3. Dico, *juxta communem sententiam;* mihi enim persuasum est, nullam speciem feudi hereditarii aliqua ratione defendi posse, excepto, quod merè tale est, & ad omnes heredes etiam testamentarios transit; alias enim, si heres extraneus aut foemina testamento scribitur, alius erit heres feudi; atque ita ejusdem defuncti duo essent heredes in solidum, duæ successiones simul, legitima & testamentaria: decederet ille pro parte testatus, pro parte intestatus: heres esset in re singulari: imò heres esset defuncti ex testamento aut dispositione tertii & c. quæ meræ sunt contradictiones & certissima juris principia evertunt. Miror igitur, quòd Carpz. *Ipr. p. 3. const. 28. def. 11.* de illo feudo hereditario, quod masculinum censetur, scribit, patrem de eo testari posse, in legitimam id imputari, in petitionem hereditatis, imò restitutionem fideicommissariae hereditatis

tatis venire, nec repudiata hereditate retineri posse. Hæc, si extraneus vel fœmina testamento heres scripta sit, ut cum rationibus juris concilientur, alii videant; tametsi in eandem sententiam propendere videntur Icti eximii Covarruv. lib. 2. var. res. cap. 18. n. 4. & seqq. Gravett. Conf. 256. n. 3. in fin. Hartm. Piff. lib. 2. quest. 1. n. 60. & seq.

4. Posita verò communi sententia, dicendum, quidem feudū hereditarium in dubio masculinum videri. *sup. c. 1. §. 5. n. 2.* nam & in specie addi solet, an & quatenus filiæ succedere in eo debeant; vel ita: **auff Söhne und Töchter.** vel; **auff Söhne/und wo keine vorhanden/auch auff die Töchter.** At sedulò tamen attendendum, an ex consuetudine loci vel ex aliis circumstantiis appareat, fœminas quoque in den Erb. Lehen succedere: facile enim variat mos feudorum, & ut quidam dicunt, lunam potiùs, quàm solem imitantur. Et vix memini feudi hereditarii simpliciter talis, quin ad fœminas quoque transferit, saltem post masculos.

5. Ut verò ad alias feudorum Fuldensium species transeamus, cum primis occurrit in investituris formula; **zum Fuldischen Mann-Lehen/** cujus anceps valdè est explicatio. Si enim fœminæ omnes inde excluduntur, idem est cum feudo masculino communi: si admittuntur post masculos omnes, idem cum fœminino communi. Neque hoc casu dici deberet masculinum, quia feudum, in quo fœminæ post masculos, etiam omnes succedunt, est fœmininum. *ut supr. dictum.* Cum igitur feudum Fuldense quoque ad ascendentes non pertineat, & intra heredes primi adquirentis consistat, *ut diximus,* nihil in eo speciale, nec propria species, sed idem esset vel cum feudo masculino vel cum fœminino communi.

6. Tradunt quidam quòd fœminæ succedant in feudo

Fuldensi etsi in investituris masculorum tantum mentio fiat. Ita Fichard. vol. 1. Conf. 17. n. 7. verb. *etsi masculinorum feudorum tantum mentio facta esset*. Höpingh Consil. 9 pag. 339. 340. qui, si foeminas eodem modo jure Fuldico succedere sentiunt, siue mascula conditio adjecta fuerit siue non, haut dubie errant, cum in allegatis literis manifeste distinguantur, & successio de qua ibi agitur (foeminarum scil. cum masculis aequaliter) tantum obtinere dicatur, in Fuldischen Lehen/ so nicht zu Mann oder Burg-Lehen &c. geliehen. In masculinis ergo Fuldensibus alia successio obtinet. Atqui nulla alia intelligi in iis successio potest, quam ut foeminae post masculos omnes, ex primo acquirente ortos, admittantur: si enim concurrunt cum masculis, nulla ratione erit masculinum, cum par sit conditio foeminarum; nec aliud erit a Feudo Fuldensi communi, a quo tamen diversum esse jam ostendimus; si vero excluduntur penitus foeminae im Fuldischen Mann-Lehen/ idem fit jure communi in den Mannlehen. Quid ergo adjectio illa, Fuldisch; quae & inepte adderetur, cum & sine ea id juris foret, & falsum omnino esset, successionem istam ex jure Fuldico esse, cum fit ex communi Feudorum natura. Idque patet ex ratione successionis in feudis Monasteriensibus; in qua cum aequae ac in Fuldensia foeminae succedant, tamen, si masculini feudi mentio fiat, foeminae demum post masculos succedunt, uti id declaratum est constitutione Episcopali de anno 1555. his verbis. *den Edelmannen und Bryen und erven / die nicht en seidt van Mannes kommen/ hebben wy gegeven/ ghesattet/ gheordineert und gewillkoert / dat de gude de man heft von unser kercken in mangude/ oder dienstmansgude/ seindt dar nene Sohne volgende/ sullen wy laten verfallen/ vermittels erflicken volzung op de Dochter als op*
 De

Sohne. Et mox : Und were/ dat binne der tydt van Mafis
 oder Frowen keine vor uns en qveme/ so sullen wy dese gu-
 de beleenen eenen Personen/ de dar beqveme to sy. ubi ex-
 presse in feudo Monasteriensi masculino foeminae post
 masculos vocantur, nec feudum domino aperitur, dum
 masculi vel foeminae supersunt. Hanc constitutionem Mo-
 nast. refert & explicat Schrader. tom. 1. Consil. 12. & late
 defendit Autor responsi apud Frid. Sand. d. l. in qvæst. 2. n.
 64. & seqq.

6. His verò positis facilè, quæ obstare videntur, dilui
 possunt. Etsi enim tale feudum, quod foeminas post ma-
 sculos admittit, jure communi sit foemineum, tamen ju-
 re Fuldensi, comparatione reliquorum feudorum, in qvi-
 bus eo jure foeminae simul concurrunt, dicitur masculi-
 num, quia solis masculis competit, donec supersunt. Ne-
 que frustra planè ea formula est, neque ultra jus com-
 mune, nihil operatur. Non enim agitur hîc de feudis, quæ
 foeminae dantur, & propriè sunt foeminea, sed quæ mascu-
 lo, eo pacto, ut foeminae quoque post masculos succedant.
 Hoc pactum non potest commodiùs exprimi, quàm for-
 mulâ, zum Fuldischen Mann-Lehen: vel enim dicendum
 foret, zum Runckel-Lehen/ quòd falsum esset, quia, ut di-
 ctum, illud propriè est quod foeminae datur, non quod ma-
 sculo. Vel circumscriptionibus utendum, quo ordine,
 succedi deberet, pro quo longè compendiosior est hæc
 unius vocis adjectio in formula, zum Fuldischen Mann-
 Lehen: quâ, veluti normâ quadam, ostenditur, masculis
 quidem hoc feudum dari, sed lege Fuldica, quâ foemi-
 narum aliqua etiam successio est, & masculinum dici,
 non quod sola, sed quod præcipua sit masculorû successio.

7. Facile tamen, ut dictum, cuilibet in hujusmodi feu-
 dis probatio contrariæ consvetudinis indulgenda est: vi-

dentur enim illa, quæ hæcenus tradita sunt, non impedire, quin etiam hæc Feuda ita explicentur, ut, si simpliciter data sint, admittantur ex æquo masculi & fœminæ; si ut masculina, masculi in eadem saltem lineâ fœminis, fœminæ autem ejusdem lineæ præferantur masculis collateralibus. Sed, cùm sententia nostra simplicior & verbis investituræ convenientior sit, atq; præjudiciis, teste Wehnero *d. l.* firmetur, ei insistendum donec alia consuetudo probetur.

8. Alia formula feudi Fuldensis est, Burgense, ein **Fuldisch Burg-Lehen**; cujus in allegatis quoque literis fit mentio, quod tamen non induit diversam ab aliis succedendi rationem; sed eodem modo in Burgensibus, ac in aliis succeditur. Atque inde tradit Rosenthal. *de Feud. cap. 2. concl. 78. n. 2.* quòd feuda Burgensia regulariter in nullo degenerent, nisi ex concessione hoc appareat: (addo, vel ex consuetudine, cujus, vel pacti vigore aliquando & fœminæ in iis succedunt) qualitas enim Burgensis servitia saltem afficit, non successionis ordinem; ac operatur, ut servitia non in genere debeantur, sed ad defensionem alicujus Burgi restricta sint: Unde in literis investituræ addi solet locus Burgi, cujus intuitu Vasallus feudum tenet & servitia præstat: atque adeò inter feuda refertur, quæ conditionata, **Sess-Lehen**/dicuntur, in quibus certa species servitiorum debetur. Quòd verò diximus, qualitatem Burgensem non variare successionem, id intelligi debet, nisi aliud consuetudine loci apparet: ita ipso jure Fuldico feuda Burgensia comparantur masculinis, **den Fuldischen Mann-Lehen**/ uti ex literis Fuldensibus patet: atque adeo in iis vi hujus formulæ succedunt demum fœminæ post omnes masculos.

9. Porrò dari feuda hæc solent sub formula, als ein
Ful.

Fuldisch Erb-Lehen/quod ex communi sententia ortum traxit, quâ hereditarium non omnibus heredibus in dubio, sed masculis dari dicitur. Si verò hereditarium ex vero censetur, quod omnibus heredibus jure hereditario competit, supervacua est adjectio Fuldici juris. Ex communi verò sententia si æstimetur, neque hæc formula mutat successionis ordinem, sed causam: illi enim soli succedunt, qui aliàs in feudis Fuldensibus solent: scil. in linea recta masculi præ fœminis, in transversa utriusque simul; verum singuli, ut hæredes, & jure hereditario, non verò ex providentia Majorum; adeoque cessant differentia inter Feudum nostrum & hereditarium, *supra* §. 2. traditæ.

9. Atque hinc patet, quæ sit vis formulæ itidem quandoque in investituris usitatae; zu Fuldischen Erb-Burg-Lehen/ in qua tres qualitates singulares concurrunt, Fuldensis, hereditaria & Burgensis: illa successionem temperat, ut fœminæ post masculos veniant, quod in his feudis solenne esse diximus. §. 8. *in fin.* ista titulum successionis constituit, ut tanquam heredes succedant; §. *præc.* hæc servitia restringit ratione certi Burgi *d. §. 8.*

10. Eodem modo feuda hæc dari possunt zum Fuldischen Erb-Mann-Lehen/ cujus formulæ eadem ferè est significatio: nam & fœminæ post masculos, §. 8. & ut heredes succedent §. 9. at servitia in genere præstabuntur: Quamquam & ea horum ac prioris speciei, der Fuldischen Erb-Burg-Lehen/ esse possit differentia, ut Burgensibus soleant cohærere certa privilegia & exemptiones, quæ ratione Burgi competunt; quod in simplicibus masculinis secus est.

11. Plures aliæ constitui species possunt, uti Feudum Fuldicum francum, pignoratitium, Camerae, Cavenæ &c.

at 3224

* (24) *

&c. dum tamen ea sit illorum conditio, cuius foeminae non est incapax; uti feuda, Guardiae, Gastaldiae, aulica, Hoff. Lehen/ vix in foeminas cadunt; quanquam ea ad quaestio- nem quoque successionis non pertineant, sed morte Va- falli vel ablato officio extinguantur. 2. F. 81. & 94. nisi ali- ter pacto convenerit, vel moribus obtineat. 2. F. 105. In aliis a communi Feudorum natura non differunt.

COROLLARIA.

1. Feudum emptum proprium feudum est.
2. Idem de feudo Camerae & Cavenae statvimus.
3. Concessio feudi Nobilis non nobilitat; secus in regali feudo.
4. Adoham non solvit fructuarius, Apanagiatus, Sub-Vasallus, &c.
5. Pupillus potest servitia feudalia praestare per alium.
6. Pupillus etsi non debeat servitia, aestimationem tamen debet.
7. Si pupillus novum Feudum acquirit nihil debet.
8. Per investituram abusivam non acquiritur possessio.
9. Pactum, de quo in 2. F. 26. §. filii. agitur, non efficit conjugium Morganaticum.
10. Si duo domini ejusdem Vasalli bellum gerant, servitia praestantur antiquiori etiam contra noviozem.
11. Antiquior non semper est, cui prius juratum.
12. Filii ut heredes agnati ex pacto in Feudis succedunt.
13. Felonia per neglectam simultaneae investiturae jure Saxonico non remitti- titur, si saepius illa neglecta fuerit.
14. Vasallus impensas in Feudum ipsum factas non deducit.

Generis decus Te, Diva, Te magis virtus
 Fert nobilem, claris & evehit bigis.
 Hac vera Nobilitatis indoles vera est!
 Tot nuper AUGUSTI audiere Te VULTUS
 Nostro canentem digna NESTORI laudum
 Oracla, votis mixta fervide fusis.
 Nunc acer instas, & novum paras nomen.
 Augescat illud in Tuum decus nomen!

Ita Generoso Dn. Respond.
vovet

PRÆSES.

ERRATA. pag. 4. lin. 1. pro §. 10. lege: c. 2. §. 1. pag. 8. lin. 1. pro §. 2. leg. sup. c. 1. §. 2. pag. 11. lin. 24. leg. c. 2. §. 1. pag. 12. lin. 28. pro §. 9. leg. c. 3. §. 6. & lin. ult. pro §. 10. leg. c. 2. §. 1.

DM

RG




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



HECCA
IANA

LIOTHEK



tes
m
tiu
riu
mi
xin
ve

un
ve
di
de
ca
de

